

ut die 29. Junii ultra praecipuam ss. Ap. Petri et Pauli solemnitate etiam aliorum apostolorum et die 26. Decb. ultra praecipuum s. Stephani festum etiam aliorum ss. Martyrum Memoria celebretur. Quare die 29. Junii in Calendariis eccles. ita festum inscribendum erit: „SS. Petri et Pauli et Commemoratio Om. ss. Apost.“, ac tam in officio quam in missa addatur Commemoratio de communi apost.; die vero 26. Decbr. ita notetur: Fest. s. Steph. protom. et Comm. omn. ss. Martyrum“ ac tam in officio quam in missa addenda erit Commem. de comm. pl. mm.

Non obstantibus quibuscunque.

Datum Romae die 3. Maii 1775.

(Bull. r. Continuatio t. V. p. 58. Ed. Rom. 1847.)

Eadem Bulla ejusdem tenoris ad Episcopum Dioec. Posnaniensis die 23. Maii 1775 a PP. Pio VI. missa est. (Ibid. p. 61.);

Ad Episcop. Uladslaviensis dioec. eodem die et anno (Ibid. p. 63.)

Ad Episcop. Luceoriens. dioec. (Ibid. p. 65.)

Ad Episc. Cracoviens. dioec. (Ibid. p. 66.)

Ad Episc. Plocens. dioec. (Ibid. p. 68), et ad alios Episcopos, ut videre est loco cit. a pag. 70—82 et p. 237; tom VI. p. 205. 428. 477.

#### VASA S.

##### 1) Benedictio ab Abbatibus facienda.

Vd.: Paramenta; Benedictio; Suppellectilia; Usus pontif. (modus etc.)

Vasa sacra benedicendi facultatem habent Abbates Pontificalia exercentes etiam regulares, non tamen pro Ecclesiis extraneis. Praelati regulares, nempe Generales, Provinciales, Priores, Rectores, Praepositi, Guardiani alique omnes Superiores locales, quocunque nomine nuncupentur, quamvis non

possint benedicere s. vasa, in quibus intervenit unctio s. chrismatis, possunt tamen benedicere alia s. vasa et ornamenta seu paramenta pro usu suarum tantummodo Ecclesiarum.

Unde caute legendi sunt doctores, qui apud La Croix lib. 6. par. 3. n. 553. et apud alios, dicunt, Superiores ordinum Mendicantium adhuc id posse etiam pro extraneis, ubi est usus, quamvis asserant bona fide id facere passim permittentibus et saepe ad eos remittentibus Episcopis. Episcopi enim non possunt absque speciali licentia s. paramentorum benedictionem aliis delegare, ut saepius decrevit s. Rit. Congr. et signanter die 14. Nov. 1615 apud Gavant. in Manuali Episcop. verb.: Benedictio num. 5. et testantur Aversa q. 11. sect. 13. §. Sexto, La Croix loco cit. num. 253. et alii passim.

Quod praelati Ordinis fratrum Sanctissimae Trinitatis Redemptoris Captivorum benedicere possint vasa, vestimenta et ornamenta ecclesiastica.

Gregorius Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exposcit pastoralis officii cura nobis ex alto commissa, ut singulorum christifidelium, praesertim sub suavi religionis jugo Altissimo famulantium, votis rationi non contradicentibus favorabiliter annuamus.

§. 1. Sane pro parte dilecti fratris Francisci Bochet, in theologia magistri, Parisiensis, Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Vicarii generalis, in romana Curia residentis, nobis nuper exhibita petitio epntinebat quod, licet dilecti filii provinciales, Vicarii et Ministri praedicti Ordinis in Hispaniarum regnis consistentes, qui triennales dumtaxat existunt, casulas, tunicas albas et mappas et alia vestimenta et ornamenta ac etiam vasa ecclesiastica

ad divinum officium peragendum necessaria ac solita et consueta benedicendi a Sede apostolica licentiam habeant, nihilominus Provinciales, Vicarii et Ministri Ordinis praedicti in Galliis, Flandria aliisque Galliarum regnis et dominiis consistentes, qui ad vitam eligi et deputari consueverunt, eadem licentia hactenus minime usi sunt nec in futurum, absque speciali indulto nostro, uti possunt, cuperet idem Franciscus sibi ac Provincialibus et aliis Vicariis et Ministris ejusdem Ordinis in Galliis, Flandria et provincia provinciae hujusmodi aliisque Galliarum regnis et dominiis nunc et pro tempore existentibus licentiam praedictam per Nos concedi. Quare nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur, honestis ejusdem Francisci postulatis grato concurrentes affectu ipsiusque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatis existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes ac licentiae hujusmodi et literarum desuper expeditarum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati eidem Francisco ac aliis Vicariis generalibus, provincialibus et ministris dicti Ordinis in Galliis, Flandria ac provincia provinciae hujusmodi aliisque Galliarum regnis et dominiis nunc et pro tempore existentibus, casulas, tunicas, albas, zonas, mappas, corporalia et alia quaecunque ornamenta ac vasa ecclesiastica (illis tamen exceptis quibus s. chrismata applicandum est) benedicendi, juxta tenorem licentiae vicariis, minis-

tris et aliis praedictis regnorum Hispaniarum concessae tantum licentiam, apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo concedimus et indulgemus illamque ad eosdem Galliae, Flandriae provinciaeque hujusmodi ac aliorum Galliarum dominiorum et regnorum Vicarios, provinciales et alios praedictos, nunc et pro tempore existentes, etiam perpetuo, extendimus et ampliamus ipsosque, ut de caetero uti, frui et gaudere libere et licite valeant in omnibus et per omnia perinde ac si illis principaliter eadem licentia, apostolica auctoritate, concessa fuisset, decernimus.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon omnibus illis quae in literis ejusdem licentiae expressa sunt.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 7. Octobris 1575 pontif. anno IV. (Bull. r. t. VIII. p. 132. Ed. Aug. Taur. 1853.)

##### 2) Benedictio a Protonotariis fac.

Vd. Protonotar. Tit.

Protonotarii sine speciali Sedis Apostolicae seu Sacrae Congregationis licentia nulla possunt benedicere vasa, paramenta seu ornamenta ecclesiastica. Sacr. Congreg. Rit. 17. Jul. 1627 apud Gavant. in Manual. Episc. verb.: Benedictio num. 7., et Barbos. in Summa Apostolic. dec. verb.: Protonotarius Titularis n. 14.

##### 3) Benedictio ab inferiorib. Sacerdot.

Benedictio sacrorum paramentorum et vasorum ecclesiasticorum non potest fieri ab inferioribus Praelatis Jure proprio, licet habeant Territorium separatum et Jurisdictionem, nisi habeant ea, quae sunt ordinis, ut decrevit Sacra Congr. Rit. in Nullius 21. Agusti 1601. apud Barbosam lib. 3. Juris eccles. univers. cap. 3. num. 31 et in Summa Apost. dec. verb.: Benedictio n. 9. Ibi num.



15. refert, quod benedictio paramen-  
torum et vasorum ecclesiasticorum,  
in quibus non adhibetur sacra unctio,  
diversis abbatibus, decanis aliisque  
personis ecclesiasticis concessa fuit per  
Sacram Rit. Congreg. et signanter in  
Aquilejen. 20. Aprilis 1599., in Even.  
17. Maii 1600., in Lameron. 29. Januar.  
1605., in Aquilejensi 24. Aprilis 1610.,  
in Augustana 12. Aprilis 1614., in  
Lucion. et Gnesnen. 4. Septembris  
1621.

Corisopiten.

Pro parte Caroli Josephi S. Pern  
sacerdotis nobilis rectoris parochialis  
de Besha dioecesis Corisopiten. sup-  
plicatum fuit in S. Rituum Congrega-  
tione pro suo voto ad indultum eidem  
a Dataria transmissum, prout in sup-  
plicatione SSmo porrecta per prae-  
dictum oratorem ad effectum, ut Sancti-  
tatis Sua eidem concedere dignaretur  
licentiam benedicendi cruces, imagines,  
campanas, tabernacula, vasa, thuribula,  
vestimenta, mappas, paramenta et or-  
namenta ecclesiastica ac sacerdotalia,  
quaecumque ad cultum praedictum ne-  
cessaria, cum solitis solemnitatibus et  
caeremoniis ac pro usu matricis illius  
saecularium ecclesiarum et capellarum  
etc. stante distantia locorum. Et ead-  
em Sacra Congregatio censuit posse  
concedi de consensu ordinarii, si SSmo  
placuerit.

Die 6. Maii 1673.

(Anal. J. P. 1865 p. 1180 n. 1970.)  
Avenionen.

S. Rituum Congregatio facultatem  
indulsi Bonifacio Pasqualis vice-curato  
ecclesiae parochialis de Châteaurenard  
dioecesis Avenionen. benedicendi sa-  
cras suppellectiles in forma et ad tri-  
ennium.

Die 10. Octobris 1674.

(Ibid. p. 1188 n. 1998.)

Bergomen.

S. Rituum Congregatio ad preces

Rmi episcopi Bergomensis allatas ab  
Emmo Colloredo inhaerendo alteri  
concessioni ejus praedecessori die 6.  
Februarii 1672 factae et attenta ne-  
cessitate illius dioecesis eidem oratori  
facultatem indulsi, ut subdelegare  
possit toties quoties opus fuerit ab-  
batibus Cassinensibus, Lateranensibus,  
Coelestinis et Valisumbrosanis habentibus  
monasteria in dicta ejus dioecesi  
licentiam benedicendi altaria, camp-  
anas, ecclesias, calices, patenas et alia,  
dummodo tamen praedicti abbates ha-  
beant a Sede Apostolica facultatem be-  
nedicendi et consecrandi.

Die 25. Septembris 1688.

(Anal. J. P. 1865 p. 1300 n. 2365.)

Ordinis Cisterciensis.

S. Rituum Congregatio indulsi P.  
Abbati sept. Fontium strictioris ob-  
servantiae ordinis Cisterciensis facul-  
tatem benedicendi ad triennium sacram  
suppellectilem et vasa ecclesiastica, in  
quibus sancta unctio non adhibeatur,  
dummodo accedit ordinarii consensus.

Die 15. Julii 1690.

(Ibid. p. 1314 n. 2424.)

Pius PP. VI. ad Episcopos Galliarum.

Simplices sacerdotes ut paramenta  
sacra, tabernacula pro custodia sanc-  
tissimi Eucharistiae sacramenti et alia  
utensilia ad sacrosanctum Missae sa-  
crificium necessaria benedicere, ca-  
lices et patenas chrysmate a vobis,  
vel ab alio quocumque catholico anti-  
stite gratiam et communionem Sedis  
apostolicae habente benedicto conse-  
crare possint concedimus.

Die 4. Maji 1791.

(Bull. r. Contin. t. IX. p. 28. Ed.  
Romae.)

4) A Vicario gener. Vicarii apost.

Vd.: Vicar. gener. Vicarii apost.

5) Munditia.

Vd.: Sacrista (munus); Munditia.

6) Pro asservat. olei infirm.

Vd.: Visit. olei infirm.

7) Pretiosa.

(In Eccles. ffr. Min. S. Francisci.  
strictior. observ.)

Vd.: Suppellectilia.

Santissimus Dominus Noster D. Cle-  
mens Papa octavus etc. Facta per  
Reverendissimos Dominos Reformatores  
Apostolicos relatione memorialis Fra-  
tris Pauli de Clavaro Visitatoris Fra-  
trum Minorum S. Francisci de stric-  
tiori Observantia, Reformatorem nun-  
cupatorum, Provinciarum Romae, Tus-  
ciae, Marchiae etc. super dubio:

An dicti Reformati possint in eo-  
rum Ecclesiis habere organa, para-  
menta et vasa ecclesiastica pretiosa et  
excessiva, stante Bulla ejusdem Sanc-  
tissimi Domini Nostri, quae illos ob-  
ligat ad observationem Regulae S.  
Francisci juxta declarationes Nicolai  
tertii et Clementis quinti

Sanctitas Sua declaravit et declarat,  
quod in Ecclesiis, quas nunc habent  
et quas imposterum dicti Reformati  
aedificabunt, in quibus non sunt hu-  
jusmodi organa, paramenta et vasa,  
non possint ea de novo facere nec,  
etiamsi piorum eleemosynis, donatione  
vel quovis alio titulo offerrentur seu  
fierent, illa acceptare, sed teneantur  
observare Regulam cum declarationi-  
bus Nicolai II. et Clementis V. et VII.

In Ecclesiis vero, quas nunc habent,  
vel imposterum habebunt et accepta-  
bunt, sive Fratrum de Familia sive  
quavis alia concessione obtinebunt, in  
quibus essent hujusmodi organa, pa-  
ramenta et vasa eisdem Ecclesiis ap-  
plicata, Sanctitas Sua concedit, quod  
sine scrupulo aliquo et conscientiae  
onere possint ea tenere et illis uti,  
cnece duraverint.

Dat. die dominico 5. Maii 1602.

(Bull. r. t. III. p. 148. Ed. Luxbg.)

8) Profanus usus.

Adhibere sacra vasa, corporalia,  
purificatoria et hujusmodi ad usum  
profanum, verb. gr. in communi mensa  
ad convivium, ad nares purgandas et  
hujusmodi, est peccatum mortale. Id  
enim praesertim gravem contemptum  
et irreverentiam. Unde jure ipso na-  
turali prohibitum est ac etiam jure ec-  
clesiastico in c.: In sancta 40., c.:  
Vestimenta 41. dist. 1. de consecrat.  
et c. 26. 27. 29. 31 et sequ. dist.  
23 et docent Layman lib. 5. tract. 5.  
c. 6. num. 19. vers.: Dico quarto,  
Quarti comment. in rubr. miss. p. 2.  
t. 1. dub. 6. vers.: Certum est pri-  
mum, Suarez t. 3. in 3 part. disput.  
81 sect. 8. §: Quarto addendum, et  
alii communiter.

Immo sacra vasa convertens ad  
usus profanos, si est laicus, excom-  
municatur, et si sit ecclesiasticus,  
etiam ab officio deponitur. Concil.  
Bracharen. 3. cap. 2. et facit ad hoc  
etiam Concilium, quod dicitur Aposto-  
lor. cap. 12 et cap.: Ad haec 4. de  
religiosis domibus, Concil. Mediola-  
nens. 1. part. 2. titul. 2. de Ecclesiis.

Vasa sacra convertens ad proprios  
usus vel alienans officio privatur, in-  
famis fit, excommunicatur et tenetur  
ad restitutionem, Concil. Toletan. 17.  
cap. 4.

9) A quibus tangenda?

Vasa sacra scilicet Calix, Patena,  
Ciborium, Corporale, dum in iis actu  
continetur Corpus et Sanguis Christi,  
a nemine praeter sacerdotem et Dia-  
conum sine gravi culpa tangi possunt.  
Colligitur ex cap.: Non oportet 26.  
et cap.: Non oportet 38. dist. 23. et  
docent Paludanus in 4. dist. 13 quaest.



1. art. 4, *Suarez* tom. 3. in 3. part. disp. 91. sec. 6, *Laymann* lib. 5. tract. 5 cap. 6. n. 18., *Tambur.* lib. 1, de Sacrific. cap. 2 §. 1., *Quarti* Comment. in Rubric. Missalis p. 2. tit. 1 dub. 6. vers.: *Certum est*, *La Croix* lib. 6. part. 2. n. 360., *Sporer* tom. 3. part. 2 cap. 6 sect. 2. n. 403 ubi testatur de communi contra Ochagaviam et Gobat negantes id esse mortale.

*Vasa sacra vacua extra sacrificium licite possunt tangi* ab omnibus clericis, etiam sola prima tonsura initiatis; *Suarez*, *Tamburin.*, *Quarti*, *Sporer* loc. cit. *La Croix* loc. cit. n. 357 et alii apud *Gobat* tract. 3. a n. 323 contra Fillucium et alios id negantes de clericis sola prima tonsura initiatis. Acolythi ministrantes licite etiam in sacrificio tangere possunt vasa sacra vacua per expressam concessionem Martini Papae in cap.: *Non liceat* penult. dist. 23.

Omnes religiosi etiam laici ordinum mendicantium et communicantium in eorum privilegiis ac praesertim deputati ad servitium Missarum, et Sacristiae possunt licite tangere vasa sacra et lavare corporalia ob expressum privilegium concessum Minoribus a Calisto III. et Sixto IV. ut refert *Casarub.* in Compendio privileg. Fratrum minorum et aliorum mendicantium verb.: *Corporalia* num. 1. et 2. verb.: *Ornamenta ecclesiastica* num. 3 et 6.

*Laici et feminae etiam moniales* absque necessitate vel rationabili causa nuda tangentes vasa sacra peccant venialiter, ut cum *Suarez*, *Coninch.*, *Azorio*, *Sanchez* tradit *Laymann* loc. cit. num. 19. et tenet *Quarti* loc. cit. vers.: *Secunda sententia*, *Pasqual.* q. 348. num. 4., *La Croix* loc. cit. num. 558. et de communissima testatur *Sporer* loc. cit. num. 405. per text. in can.: *Sacratas* 25. dist. 23. et can.:

*In Sancta* 40. dist. 1. de consecr. Immo *Tamburinus* Opusc. de Sacrificio lib. 1. cap. 2. §. 1. n. 7., *Solus* in 4. dist. 13. q. 3. art. 3. ad 3., *Fagundes* Praecepto 1. lib. 3. cap. 21., *Bartholomaeus* ab Angelo Dialogo 5. §. 221 et multi alii recentiores, quos citat *Sanchez* lib. 2. Decalogi cap. 43. num. 27., sustinent laicos et feminas tangendo vasa sacra, secluso contemptu, nequidem peccare venialiter, quia canones id prohibentes possunt intelligi de consilio et ob majorem decentiam nec videntur continere praeeptum. Et si ad id accedat aliqua rationabilis causa, nullo modo peccare laicos et feminas tangendo vasa sacra, corporalia et alia hujusmodi tenent etiam *Quarti* loco citato vers.: *Colligitur quinto*, cum aliis ibi citatis, *Layman* loc. cit. num. 13., *Sanchez* loco cit., *Henrig.* et plurimi alii.

*Hinc moniales sacristanae possunt licite tangere calices*, corporalia et hujusmodi. In ipsis enim adest rationabilis causa supradicta tangendi, cum ratione sui officii debeant calices, patenas, corporalia et similia praeparare, ministrare, mutare et hujusmodi, quae sine tactu praestare non possunt. *Pasqualig.* de Sacrific. novae Leg. q. 839 n. 9. cum *Quintanadven.* et *Suarez* ibi citatis, *E. Cajetanus* de Alexandris in Confessario monialium, c. 11. §. 5. q. 12 et alii passim, docetque praxis. Cum enim moniales gaudeant privilegiis regularium, et laici regulares, praesertim deputati ad servitium Missarum, et sacristae ex privilegio concessio laicis Fratrum Minorum a Calisto III. et Sixto IV., ut dictum est supra, possint tangere vasa sacra, corporalia, et purificatoria lavare, poterunt id etiam moniales sacristanae, cum in ipsis adsit etiam rationabilis ratio.

Civitatis Castellae. Patres oratorii s. Philippi Neri supplicarunt concedi licentiam laicis de-

stinatis ad servitium Sacristiae tangendi vasa s.

S. C. remisit ad Ordinarium, qui concedat licentiam pro tempore, quo inservirent. Die 24. Nov. 1635.

(Anal. J. P. 1863 p. 263.)

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX. audito voto Emmorum ac Rmorum S. R. C. Cardinalium in audientia habita die 21. Februarii 1851 benigne indulxit, ut *fratres*, qui in Ecclesia muneribus clericorum funguntur, sacras suppellectiles et vasa sacra, in quibus ss. Eucharistiae sacramentum non continetur, ad eorum officium exercendum dumtaxat tangere possint.

(Anal. J. P. 1861 p. 88.)

#### 10) Tractatio a Monial.

*Ad dub.*: Utrum moniales seu piae feminae vitam communem sub regula degentes possint cum licentia ordinarii abluere corporalia, pallas et purificatoria?

*Resp* Etsi *Paulus Maria Quarti* in suis commentariis ad rubricas missalis part. II. tit. de praeparatione sect. III. dub. V. doceant posse praesertim sacras virgines sine scrupulo pallas, corporalia et purificatoria extergere, aperte tamen declarat intelligendum id esse post primam lotionem, quod faciendam esse ait a diacono vel a subdiacono ex cap.: *Nemo* 2. de consec. dist. 1.

Pontificale romanum hanc ablutionem ita vult pertinere ad personam in sacris constitutam, ut in ordinatione subdiaconi Pontificem inducit his verbis eum alloquentem: „Accepturus, fili dilectissime, officium subdiaconatus sedulo attende, quale ministerium tibi traditur, subdiaconum enim oportet aquam ad ministerium altaris praeparare, diacono ministrare, pallas altaris

et corporalia abluere etc.“ Et merito quidem, namque his lintheaminibus ob contactum sacrarum specierum magna debetur reverentia.

Quanta autem reverentia ac religione fieri debeat talis ablutio Concilium Rhemense docet apud *Burchardum* lib. III., cap. 48: Quando abluatur (Corporale) a sacerdote, diacono vel subdiacono, primo in Ecclesiae loco et vase ad hoc praeparato abluatur, eo quod et dominico Corpore et Sanguine investum sit.“ Quae ablutio cum a pontificali romano subdiacono, ex officio sui muneris, assignetur, alteri qui saltem in sacris constitutus non sit nisi a summo Pontifice committi non potest. Nescio autem, quid causae sit, ut monialibus seu piis feminis, de quibus in dubio, opus sit corporalia, pallas et purificatoria abluere, cum hoc nec frequenter faciendum sit et non desit certe vel in civitate vel in oppido vel communitate seu sacerdos seu parochus seu capellanus, qui id praestet. Sed haec videat Ordinarius, qui si perspectis particularibus circumstantiis expedire in Domino judicaverit, ut praedictae moniales ac piae feminae abluant corporalia, pallas et purificatoria, opportunum exposcat ap. Sedis indultum. Responderem itaque: Negative et recurrendum ad SSnum pro gratia.

S. C. resp.: Negative.

Die 12. Sept. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 352.)

Aretina.

S. Rituum Congregatio facultatem indulxit monialibus S. Clarae montis Sancti Savini dioecesis Aretinae, ut earum sacristanae pro tempore tangere possint vasa et alia suppellectilia sacra earumdem sacristiae.

Die 3. Decembris 1672.

(Anal. J. P. 1865. p. 1178. n. 1958.)

Vd.: *Vasa s.* (a quibus tang.)



## 11) Vendenda non sunt a Judaeis.

Vasa sacra vel alia ecclesiastica *judaeis vendens est in poenitentia relegandus*, et judaei ipsa ementes conveniendi sunt a Iudice et ad restitutionem eorum statim compellendi. Gregorius I. lib. 1. Epistol. 66. apud Paravicinum *Polyanthea Sacror. Canonum verb.: Vasa n. 8.*

## 12) Visitatio.

Vd.: *Visit.* (ss. Oleorum., Baptism., Sacristiae etc.) *Stemma gentilit.; Ostensorium.*

## VELAMINA

(In *expos. SS. Sacramenti quadrag. horarum*)

Vd.: *Expositio SSmi* (velamen etc.) *De Velam. circa altare Expositionis.* Vd.: *Instr. Clem. § VIII. n. 1. 2.*

## VELATIO.

## 1) Imaginum.

Vd.: *Imago* (velatio).

*Ad dub. 1.:* An tempore Passionis occasione spiritualium exercitiorum in Ecclesia possit discooperiri imago Sanctissimi Crucifixi, ut magis audientium corda conterantur: et insuper an eodem tempore Passionis possint imagines velo ita textitu (vulgo trasparente) cooperiri, ut videri possint?

2.: *Caeremoniale Episcoporum* lib. 2. c. 20. n. 3. praescribit quod ad primas vespas Dominicae Passionis omnes cruces et imagines Salvatoris Nostri Jesu Christi per ecclesiam cooperiantur: quid dicendum de imaginibus Beatae Mariae Virginis et Sanctorum?

S. C. resp. ad I.: Non licere et rubricas praescribere ut imagines velentur, ne conspici valeant.

Ad 2.: Esse includendas.

Die 7. Septbr. 1850.  
(Corresp. de Rome 1851. Ed. II. n. 59. p. 223).

## 2) Sponsorum.

*Ad dub.:* An ritus receptus vel alibi explicandi velum super sponso annumerandus sit inter laudabiles consuetudines a Tridentina synodo adprobatas, vel potius censeatur prohibitus sub nomine Pallii decreto 23. Februarii 1606.

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 7. Sept. 1850.  
(Corresp. de Rome 1851. Ed. II. n. 56. p. 199.)

## VELUM.

## 1) Altaris.

*Remotio in Sabbato s. ad Gloria.*

*Ad dub.:* In missa sabbati sancti super altare paratum ad festum debet necne tolerari magnum velamen nigrum Passionis Domini ad hoc ut ludrica permittatur discensio et amotio illius velaminis in primo ictu tintinnabuli ad intonationem hymni *Gloria in excelsis Deo* etc.?

*Resp.:* In quibusdam almae urbis ecclesiis et praecise in ea s. Apollinaris, in qua per pontificium seminarium romanum et per collegium Pium ad rubricarum regulas sacrae functiones accurate complentur, usus adest tegendi magno velo violaceo sed absque ullo signo aut emblemate Passionis Domini, frons integra majoris altaris festivis ornamentis jam praeparati, ante quod altare eo modo connectum apponitur alterum altare cum cereis cerae communis et pallio violaceo pro functionibus missam solemnem praecedentibus et cum in litanis perventum fuerit ad *Ÿ. Peccatores*, recedente celebrante cum ministris pro paramentis albis assumendis detegitur altare majus, quod pallio ac cereis albis iisque accensis splendi-

## 2) In Benedictionib. Monial.

Vd.: *Bened. Monial.*

## 3) In bened. cum reliquia s. Crucis.

Vd.: *Bened. cum reliquia etc.*

*Ad dubium:* Cujus coloris debeat esse Pluviale et Velum humerale pro benedictione cum reliquia s. crucis? S. C. resp.: Servetur consuetudo. n. 4815 ad XIV. 2. die 22. Sept. 1837.

## 4) Calicis.

(*Quis deponit etc.?*)

*Ad dubium:* An in Missa privata quando minister non est superpelliceo indutus deceat eum, lecto Offertorio a Celebrante, ad altare ascendere, accipere et plicare velum Calicis, vel hic ritus reservari debeat ministris superpelliceo indutis, vel etiam celebrans ipse debeat plicare velum et super altare ponere?

S. C. resp.: Servandam consuetudinem.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal J. P. 1857. p. 2200.)

## 5) Super Candelabra et Crucem.

*Ad dub.:* An tolerari possit ut tempore missae et officiorum candelabra altaris, ne pulvere sordescant, aliquo drappo vel tela permaneant vestita, imo ut et ipsa crux eodem modo involvatur, posita alia cruce minori pro cruce altaris pretiosiore sic oblecta?

*Resp.:* De ornatu altarium ac de candelabris super imponendis pro diversitate dierum et solemnitatum loquitur ipsum Caeremoniale Episcoporum lib. I. in toto capitulo XII. Id profecto exigit decor ille qui domui Domini convenit et qui diligendus a nobis est, ut cum Davide dicamus: *Domine dilexi decorem domus tuae.* Cum hoc autem decore minime con-